



The Holy See

PIUS PP. X **EPISTOLAIS TUUS*** *Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.* — Is tuus liber de *Les voies de Voraison mentale*, cuius Nobis dedisti exemplar, quanquam in argumento sacris auctoribus usitato versatur, non tu tamen rem supervacaneam fecisti scribendo; imo valde utilem, nec solum religiosis hominibus, sed omnibus, quicumque perfectionem christianae vitae assequi contendunt. Certe de opere isto tale intelligendum est iudicium; quibus tua et doctrina et peritia iure probatur. Nos igitur cum gratias tibi agimus, tum gratulamur; et quos ex labore tuo fructus communis pietatis expectas, ut uberes sequantur, exoptamus. Divinorum autem munerum auspiciem, et benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus. *Datum Romae apud S. Petrum die XIII Decembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.* **PIUS PP.**

X

*AAS, vol. I (1909), p. 139-140.
